

616. **Principia.** — I. Homo potest in extrema necessitate, uti bonis alienis, quantum satis est ad se a tali necessitate eximendum. Ratio est, quia divisio bonorum, quomodocumque evenerit, non potest derogare iuri naturali, quod cuique competit, ut sibi provideat, dum extrema necessitate laborat. In tali itaque casu omnia fiunt communia; adeoque accipiens rem alienam ad sibi subveniendum, accipit rem vere communem, quam suam facit, sicut ante bonorum divisionem contigebat. Ergo furtum non committit. — S. Thom. 2. 2. qu. 66. art. 7. — S. Lig. n. 520.

II. Ut quis aliena surripere possit, non sufficit gravis, nec a fortiori communis necessitas; in his enim adiunctis domini sunt rationabiliter inviti, et secus facilis direptionibus aditus pateret (1).

(1) Quidam doctrinam hanc confirmant damnatione propos. 36^{ae} inter proscriptas ab Innoc. XI: *Permissum est furari non tantum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.* Sed non satis certum est, huc spectare damnationis rationem. Nam cum *furari* per se significet *ablationem iniustam*, haec sane ne in extrema quidem necessitate licet, cum tamen tunc liceat ex alienis sibi prospicere.

Quamquam vero Dominicus Viva (ad h. prop. n. 4) dicat, se non subscribere contententibus, damnari in hac propositione furtum *formaliter sumptum*: ast in sententiam plane oppositam ivit praeter alios Ioan. de Cardenas (dissert. 23. cap. 1. art. 1.). *Etenim* (inquit n. 4.) *Pontifex praecipue intendit damnare id, quod in propositione turpius est: sed in hac propos. 36^{ae} turpius est dicere, quod furtum est licitum in aliquo casu, quam dicere, quod in necessitate gravi licet auferre a divite superflua, asserendo simul habere ius ad illa, et ideo non esse furtum...* Ergo praecipua intentio damnationis est damnare id assertum, quod in aliquo casu furtum sit licitum.

Hoc ipsum autem (n. 6.) sic confirmat ex historia. Nam, ut refert Fagnanus in lib. 1. Decret. in C. Ne innitaris De Con-

stit. n. 339., *Episcopus Gandavensis ann. 1657. die 4. Maii consuluit Doctores Lovanienses, ut censuram suam proferrent circa hanc eandem propositionem*: Permissum est furari non solum in extrema, sed etiam in gravi necessitate. *Ipsi autem placitum suum exposuerunt in haec verba*: Furari in nullo casu permissum est, quia intrinsece malum: *id est non solum non licet furari in necessitate gravi, sed neque in extrema. Postea vero ipsi Doctores Lovanienses hanc eandem propositionem detulerunt inter plures alias SS. D. Innocentio XI, ut qua digna esset censura, eam inureret, ut constat ex libello supplicis, quem obtulerunt Romano Pontifici, cuius exemplar transcriptum apud me habeo. Cum ergo Pontifex damnaverit propositionem eodem modo, ac Lovanienses proposuerunt, pro certo habendum est, eam fuisse intentionem Romani Pontificis, scilicet damnandi in hoc sensu, quod neque in extrema necessitate liceat curari.*

Exinde vero quoad praesentem quaestionem de gravi necessitate sic (n. 7.) concludit: *Ex dictis infertur, hanc propositionem*: Permissum est furari in necessitate gravi, *manere damnatam; idque etiamsi esset probabilis opinio*

617. **Resolves.** — 1^o Pauperi in extrema necessitate posito plus auferre non licet, quam sibi est necessarium. Unde si sufficiat solus usus rei, v. gr. equi, cessante necessitate, obligatio restituendi manet. — S. Lig. *Hom. apost.* n. 15.

2^o Si extreme indigens habeat alibi in re vel in spe probabili unde solvere possit, non potest rem alienam subducere, nisi cum onere restitutionis; quia necessitas non exigit, ut accedat rei proprietate, quando sufficienter re mutuo accepta vel commodata sublevari potest. — *Hom. apost.* n. 19.

3^o Qui vero in extrema egestate rem alienam consumpsit, ad nihil post usum rei tenetur, si nullam probabilem spem habuit, fore ut aliquando restituere posset, etsi postea ad meliorem perveniat conditionem. — *Hom. apost.* ibid.

4^o Quae de extrema necessitate dicuntur, possunt etiam dici de necessitate quasi extrema seu gravissima. Talis autem necessitas tunc adesse censetur, quando quis est in probabili periculo incurrendi mortem, amittendi membrum aliquod principale, incidendi in captivitatem perpetuam, aut subeundi poenam triremium vel gravissimum aut perpetuum mor-

docens, quod in gravi necessitate licitum est subripere a divite necessaria ad eam sublevandam: quia iuxta hanc damnationem nunquam concedendum est, quod in aliquo casu furtum sit licitum: et quamvis esset probabile, quod tunc liceat subripere, non esset tamen probabile, quod tunc liceret furari propter dicta.

Neque aliter sensit Duarte in *Expositione Propositionum damn. dicata Cardinali Paulutio Maiori Poenitentiarario et Romae edita ann. 1712.* Sic enim ille breviter (n. 289.): *Decretum Innocentii XI damnans propositionem 36^{am} praecipue intendit damnare, quod in aliquo casu licitum sit furari, quia est intrinsece malum. Admittendum tamen est, quod in extrema necessitate licitum sit subripere a divite necessaria ad illam sublevandam sive manifeste sive occulte, nec hoc habet rationem furti vel rapinae.*

Sic etiam Petrus Catalani (*Th. Mor.*

part. 2. q. 19. cap. 3. n. 2.) postquam statuit, non peccare eum, qui in extrema necessitate constitutus surripit quantum sufficit, etc., dein subdit: *Nec ex communi sententia allata infertur, licitum esse furtum in extrema necessitate, cum furtum ex suis intrinsecis incohonestabile sit, ut est mendacium... sed solum asseritur, surripere rem alienam in extrema necessitate non esse furtum. Ideoque recte Innocentius XI damnavit propositionem illam 36^{am} asserentem*: Permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi; *cum neque furtum committi possit in extrema necessitate, non solum in gravi.*

Et haec satis sint, ut pateat, opinionem, quae in gravi necessitate veniam providendi sibi ex alienis bonis tribuit, posse quidem aliis rationibus impugnari; ast argumentum, quod in eum finem petatur ex propositionis 36^{ae} damnatione, ut prorsus efficax haberi non posse.

bum. In his quippe casibus necessitas extrema iam est moraliter praesens (2). — *Hom. apost.* n. 15.

5^o Dives res suas occultans, vel alia utens industria, ne pauperi succurrat, cessante pauperis necessitate, non tenetur ad restitutionem, quia necessitas etiam extrema tandiu confert pauperi ius ad usum rei alienae, quamdiu ipsa necessitas urget (3). — *Hom. apost.* n. 20.

618. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *An possit quis rem alterius surripere non tantum ad subveniendum necessitati propriae, sed etiam alienae?*

Resp. Affirm., cum S. Thom. 2. 2. qu. 66. art. 7., et aliis communiter. Ratio est, quia tunc gerit quodammodo vices indigentis, et ostendit, se diligere proximum sicut seipsum (4).

619. — **QUAER.** 2^o *An dici possit versari in extremo vel quasi extrema necessitate, qui est occidendus a latronibus, nisi talem summam pecuniae tradat, vel ille cui immineret perpetua aut gravissima captivitas, vel aliud simile infortunium? (5)*

Resp. Controvertitur. Affirmant non pauci cum S. Lig. n. 520., Lugo, disp. 16. n. 146. Ratio est, quia illa necessitas consistit in gravissimo seu extremo periculo, quod imminet, quando quis est ad maximam miseriam redactus, aut iam iam moriturus, non solum ex penuria ciborum, sed ex alia qualibet causa. Negant autem alii asserentes tunc solum bona

(2) Quidam necessitatem eiusmodi *gravem* appellarunt; contra quos alii minus caute propositionem 36^{am} ab Innocentio XI damnatam intorserunt. *Minus caute*, inquam: tum quia non satis constat, ea damnatione doctrinam percelli, quae in gravi necessitate licitam dicit rei alienae ablationem, uti *not. praec.* animadvertitur: tum quia *gravis* necessitas penes eos scriptores, ut notat etiam Viva (ad Prop. XXXVI. Innoc. XI. n. 2.) idem significat, ac penes alios *necessitas pene extrema*; quocirca ab aliis dissident non sententiae, sed solum vocum diversitate.

(3) Verior ratio, cur in casu dives non teneatur ad restitutionem, haec potius videtur esse, quod mere peccet contra charitatem, nullatenus vero contra iustitiam. Ratio autem ab A. allata tunc valeret, si dives *per vim* pauperem a re quapiam sibi sumenda impedivisset. Quo in casu peccasset quidem contra iustitiam, sed cessante necessitate, atque adeo iure pau-

peris, etiam restitutionis onus cessasset. Vid. Lugo *De Iust.* disp. 16. n. 143.

(4) Quinimo charitas ad id obligare potest, nisi gravia quis idecirco subire incommoda debeat. Et quandoquidem extreme indigens sibi providere potest ex bonis cuiusvis (nisi forte charitas cuius inopia laboranti parcendum suadeat) quippe in iis adiunctis bona omnia fiunt communia, idecirco et qui vices illius assumit et gerit, id ipsum potest; neque lex charitatis postulare videtur, ut semet potius gravet, quo aliis pareat.

(5) Clarius evadet controversiae status et solutio, si quaestio fiat, non quidem utrum in his adiunctis homo in extrema seu quasi extrema necessitate versetur, nam vi definitionis ita plane se res habet, sed utrum tunc liceat sumere rem valde pretiosam aut ingentem pecuniae vim, quando haec absolute necessaria sit ad vitam servandam. Sic profecto facile intelligitur Auctoris responsio.

evadere communia, quando quis versatur in extrema necessitate ex causis naturalibus (6), non autem ex pravitate hominum. — Ita Concina, *de Eleem.* c. 9. qu. 4.

Prima Sententia est communior, et videtur etiam *probabilior*. Hinc in istis casibus licet sibi ex alienis providere, saltem per media non exquisita, nec extraordinaria (7), quia cum haec necessitates non sint frequentes, eo ipso non est facilis in iis abusus, qualis in caeteris casibus communiter timeri potest.

(6) Quasi vero etiam necessitas causis naturalibus inducta non possit esse eiusmodi, ut ad eam arcendam ingentes requirantur expensae!

(7) Per haec Auctor, prima sententia reipsa relicta, ad temperatam Lugonis doctrinam, quae et communis dici potest, descendit. Et S. Alphonsus quidem Lugonis suffragio fulciri censuit opinionem, quae homini in ea necessitate concedit, ut vel quatuor aureorum millia ad usus suos usurpet: quia scilicet Lugo (*De Iust.* disp. 16. n. 146.) duas tantum condiciones generali doctrinae apponit, 1^o ut res sit necessaria indigenti, 2^o ut non sit necessaria ipsius rei domino. At enim in sequentibus Lugo doctrinam illam circumscribit. Et licet concedat (ibid. n. 159.), *in extrema necessitate posse contingere, quod aliquis extreme indigens possit, invito domino, sibi accipere id quod dominus ex charitate dare non tenebatur*; mox tamen limites hosc subicit: *Quando scilicet id sit ex mediis non exquisitis et extraordinariis, sed ordinariis et communibus, quibus necessitas illa communiter vitari solet.* Ratio autem est (prout ipse Lugo egregie disputat), quia ut ius pariatur aliena sibi accipiendi, non solum res debet esse necessaria ad sublevandam necessitatem, sed insuper oportet, ut necessarium sit, huic necessitati subveniri. Atqui tenemus omnes non obligari quempiam ad media extraordinaria adhibenda ut v. gr. vitam servet, praesertim si eorum usus in propriae fa-

miliae grave damnum cederet. A fortiori igitur id dicendum est de bonis alterius, qui idecirco rationabiliter esset invitus.

Quaenam autem media communia et ordinaria Lugo censuerit, patet ex sequentibus (ibid. n. 154.): *Si aliquis (inquit) ut hostes insequentes fugiat, a quibus captivitatem solam et libertatis iacturam timet, indigeat equo alieno, durissimum et omnino incredibile apparet, quod non possit eum, inscio domino usurpare, etiamsi nec equum, nec pretium eius possit postea unquam domino restituere. Quare idem dicendum videtur, si necessarius sibi equus esset ad gravissimam infamiam positivam fugiendam, cum haec aliquando non minus, quam captivitas aestimetur. Atque idem erit de morbo perpetuo aut diuturno, ac aliis similibus malis propter eandem rationem.* Qua exposita ratione, subiicit: *Quamvis autem media exquisita et extraordinaria noluerit natura communia esse omnibus, media tamen communia et ordinaria, quibus haec bona communiter conservantur, videtur voluisse omnibus esse communia ad eorum bonorum communem conservationem. Ad eum enim usum procreavit equos, v. gr. ut iis homo fugere posset hostes et pericula gravia, et ad eum finem vestes et medicinas communes produxit, ut iis possemus communiter adversus eiusmodi gravia pericula nos tueri.*

§. II. De occulta compensatione.

620. — Duplex distinguitur compensatio, *legalis*, et *extra legalis*. Prior locum habet, quando duo sibi invicem debitores, alter rem alteri debitam reservat sibi: sic v. gr. si tibi debeam 100 fr. pro panno, et tu 100. pro vino mihi debeas, utrumque debitum compensatione extinguitur (C. C. 1289. et seq.). Posterior, quae *compensatio occulta* dicitur, est rei propriae recuperatio per alienae occupationem. De hac sola nobis est agendum.

621. **Principia.** — I. Occulta compensatio aliquando iusta et licita esse potest, si requisitis conditionibus non careat, idest si nulla fiat iniuria debitori, neque ulla sequatur perturbatio ordinis iuris, neque Reipublicae. Atqui haec tria haberi possunt. Ac 1^o Nulla iniuria fit debitori; nam ex hypothesi in tali compensatione accipis tantum id, quod certo tuum est, seu quod ex stricta iustitia tibi debetur. — 2^o Nulla est ordinis iuris perturbatio, siquidem supponitur, vel iudicem adiri non posse saltem sine notabili incommodo, vel eum ius suum parti laesae restituere non valere. Non enim praetermitti id dicitur, quod incassum quaereretur. — 3^o Nulla est perturbatio, seu damnum Reipublicae; satis enim ei consulitur per cautiones in conditionibus apponendis. — Ita S. Lig. n. 521. — Lacroix, n. 959. — et etiam Antoine, c. 5. qu. 9., ubi dicit: *Est communis sententia*, — et Collet, *de Iustitia*, p. 3. c. 4., ubi dicit: *Ita pene omnes theologii*.

622. — II. Conditiones autem requisitae sunt sequentes: 1^o *Ut debitum sit certum*, saltem moraliter (8). In dubio enim valet principium: *Melior est conditio possidentis* (9). Ergo in dubio compensatio illicita et iniusta est.

(8) Card. de Lugo cum multa de hac re disputasset, sic concludit (*De Iust.* disp. 16. n. 102.): *Ergo quando probationes circa factum ex parte actoris, licet non sint evidentes, sunt tamen tales, ut iudicio Doctorum iudex pro eo iudicare debeat, non obstantibus probationibus adversarii, poterit ipse, antequam res ad iudicium adducatur, concurrentibus aliis conditionibus ad compensationem requisitis, amplecti opinionem probabilem, ut sibi compenset.*

Verumtamen (ibid. n. 106.) subdit Lugo, malle se ab ultimo de hac re iudicio fe-

rendo abstinere; quia (inquit) *licet in casibus particularibus Auctores videantur id admittere, ut vidimus (n. 95.), in communi tamen, et dum quaestionem in propriis terminis tractant, videntur id communiter negare; quia fortasse aliquid ipsis occurrebat, quo argumenta nostra superposita possent dissolvere.* Sed forte sententia illa Lugonis haud longe distat a communi; cum enim supponat, Doctorum iudicio iudicem non aliter iudicatum fuisse, iam habes eam probabilitatis speciem, quae in ethicis morali certitudini aequipollet.

(9) Alias advertimus (vid. sup. n. 79.

2^o *Ut debitum non possit aliter recuperari*, saltem sine gravi incommodo. Nam si creditor possit per meram petitionem vel recursum ad iudicem obtinere quod sibi debetur, iam se compensando iniuriam publicae potestati facit, adeoque contra iuris ordinem delinquit.

3^o *Ut sumatur res in eadem specie*, si fieri possit. Secus enim res debitoris sine eius consensu, et proinde iniuste, permutatur.

4^o *Ut damnum debitoris praecaveatur*, scilicet procurando ut debitor periculo bis solvendi non exponatur, si forte restitutus sit. Hinc si casus ille aliquatenus praevideatur, aliquo modo monendus est, v. gr. per fictam renuntiationem, seu condonationem, etc. (10). Si autem, facta compensatione, restituat, ipsi iterum erit restituendum. Caeterum casus ille rarus erit; siquidem compensatio licita non est, nisi ubi nulla adest spes probabilis debiti recuperandi (11). — S. Lig. n. 521.

623. **Quaesita.** — **QUAER.** 1^o *An famuli iudicantes salarium esse infra operam a se praestitam, uti possint occulta compensatione?*

Resp. Neg., saltem generatim loquendo, cum sententia communi (12).

q. 5.), hoc effatum minus ad rem facere, cum agitur de probabili opinione. Secus, nisi certa res sit, non posset iudex pro alterutra parte, quae non possideat, sententiam ferre, quod falsum est.

Non praetermittendum autem quod habet S. Alphonsus (lib. 3. n. 521.): *Licet ad compensationem requiratur certitudo crediti, quamplures tamen graves Auctores admittunt, posse fieri compensationem cum credito tantum probabili in tribus casibus, scilicet quando compensatur 1^o fama cum pecunia, 2^o infamia cum infamia data, et 3^o legatum relictum in testamento non solemniter.*

(10) In praxi difficile haec fieri ita poterunt, ut saepe debitoris animum non subeat aliqua factae compensationis suspicio, et gravia exinde incommoda creditori possent obvenire, v. gr. si agatur de famulo. Haec itaque si a monitione timeantur, omitti haec poterit: et si quod inde damnum alteri accidat, sibi suaeque iniquitati imputet; creditor enim usus est iure suo.

(11) Intellige, ubi nulla adest spes pro-

babilis recuperandi suum *sine gravi aliquo incommodo*. Nam etsi spes non probabilis modo, sed plane certa foret recuperandi suum per recursum ad iudicem, hic tamen recursus creditorem gravibus litium, inimicitiarum, expensarum, etc. difficultatibus ac molestiis involveret: atque adeo ab occulta compensatione non esset prohibendus, ut ipse quoque Auctor infra monet.

(12) P. Gury in alia editione (an. 1865.) eidem prorsus quaestioni hoc responsum subiecerat: *Resp. Affirm.*, *si adsint debita conditiones. Casus autem contingere potest, si famulus vi et metu compellatur ad consentiendum in pretium inaequale (scil. iniustum); si necessitate compulsus in illud consenserit, modo tamen dominus alios famulos eodem vili pretio, iusto tamen, non invenisset, vel hunc rogantem ex misericordia non exceperit; si operibus indebitis gravetur. Cavendum tamen est periculum, quod ex fallaci iudicio oriri potest. Proinde merito damnata est propositio 37^a ab Innoc. XI, quae sic generatim statuebat:*

Constat 1^o ex propos. 37^a ab Innocentio XI. damnata: *Famuli et famulae domesticae possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam maiorem iudicant salario quod recipiunt.* 2^o *Ex ratione;* nam agerent contra pactum, cum in pretium minus consenserint, et aliunde nihil ipsis debeatur, nisi pretium, de quo conventum est. Praeterea si id liceret, via innumeris furtis panderetur: famuli enim sibi facile persuaderent, stipendia esse iusto minora; sic nulla securitas dominis superesset. — Idem etiam dicendum ex paritate rationis de omnibus operariis, artificibus et mercatoribus, qui ad compensationem recurrere vellent praetextu vilioris pretii, quo operas suas locaverint, vel merces suas vendiderint.

Dixi, *saltem generatim loquendo;* quia excipiunt non pauci. 1^o Si famulus vi aut metu compellatur ad consentiendum in pretium inaequale. — 2^o Si necessitate compulsus in illud consenserit, modo tamen dominus alios famulos eodem vilio pretio iam iuste non invenisset, vel hunc rogantem ex misericordia non exceperit. — 3^o Si invitus operibus indebitis gravetur (13).

Famuli et famulae domesticae possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam maiorem iudicant salario, quod accipiunt. *Ratio scilicet damnationis huius propositionis est, quod fere famuli sunt valde proni ad perperam discernendum, salarium esse infra operam a se praestitam.* Ita in illa Editione.

Porro facile patet, utriusque responsi, licet specie tenus contrarii, unam eandemque reipsa esse doctrinam. Incommodum autem apparentis huius contradictionis cavere facile potuisset, quando aliis verbis, quam quibus effertur damnata thesis, quaestio fuisset proposita; pronumque fuisset respondere, famulis id licere, quod omnibus licet, uti scilicet occulta compensatione, quando debita non desint conditiones. Neque obstat illius thesis damnatio: neque enim dici potest, Innoc. XI. per eam damnationem obligare famulos voluisse ad damnum contra iustitiae leges ferendum, quando crimen mercedis operarii inique negatae in catechismis inter ea recensetur, quae iram omnipotentis Dei

quasi clamando in se provocant. Merito damnata ea thesis fuit, non solum quia famuli saepe saepius male iudicant, plus sibi deberi, quam quod pacti ab initio sunt, sed etiam quia ad licitam occultam compensationem aliae praeter laesionem iustitiae conditiones requiruntur.

(13) Ita S. Alphonsus (lib. 3. n. 622.): *Famulus cum cogitur ad sic (nempe minus iusto pretio) conveniendum a sua paupertate, tunc non cedit iuri suo sponte, sed coacte, et ideo ipsius paupertas nequit excusare herum, ut non solvat ei saltem infimum stipendium. Quando autem famulus coactus a necessitate convenit pro parvo pretio (scilicet infra infimum), poterit sibi compensare usque ad pretium infimum; ut ait Viva cum Lessio, Suarez, Molina et Dicast., et aliis communissime. Hoc tamen currit, nisi dominus alios famulos pro eodem parvo pretio iam iuste (id est intra iusti pretii saltem infimi limites) invenisset; vel nisi famulus de se oblatus fuisset, et dominus ex pietate sive indigentia, ipso uteretur.*

QUAER. 2^o *An saltem famulus, auget operas debitas, se compensare possit?*

Resp. 1^o *Neg.*, si ita agat electione propria, quia tunc censetur operam suam condonare ad sibi conciliandam domini gratiam.

Resp. 2^o *Affirm.*, si operas augeat ex voluntate domini sive expressa, sive tacita, quia tunc operarius dignus mercede sua de iure censetur. — S. Lig. n. 523. — Quaenam autem compensatio iusta sit, iudicio etiam famuli relinqui quandoque potest, si timoratus sit ac prudens, et proprii amoris periculum absit; quod tamen admodum raro eveniet. — S. Lig. n. 524.

624. — *QUAER. 3^o An uti possit occulta compensatione, qui damnatur a iudice ad solvendum debitum, quod certo non contraxit, vel cui certo iam satisfecit?*

Resp. *Affirm.*, quia sententia iudicis est iniusta, utpote innixa falsa praesumptione facti, ac proinde in conscientia obligare nequit. Licet enim standum semper sit sententiae iudicis in *materia iuris*, nisi de lege seu sententia evidenter iniusta agatur; secus tamen, secluso scandalo, si iudex certo erret circa factum, quod ex errore verum putat; aliunde vero iudex non habet facultatem dominium transferendi; neque qui sententiam favorabilem obtinuit, etiam detecto errore, rem sibi adiudicatam servare potest. — *Ita communiter* Moullet, t. 1. p. 491.

625. — *QUAER. 4^o An graviter et contra iustitiam peccet, qui se compensat, quin prius ad iudicem recurrerit?*

Resp. 1^o Non peccat *per se contra iustitiam*, modo tantum accipiat, quantum sibi debetur; nec proinde ad restitutionem tenetur. Ratio patet, quia facta hac compensatione, restituitur aequalitas inter ipsum et debitorem. Dixi, *per se;* quia quandoque sequi posset detrimentum pro debitore ex privatione cuiuspiam rei determinatae, v. gr. equi, rei pretiosae, etc. — Lugo, disp. 16. n. 19., et alii.

Resp. 2^o Nec peccat *graviter*, generatim loquendo; quia ordinarie non sequitur ex hac ordinis inversione grave scandalum, nec gravis reipublicae perturbatio. — Lugo, *ibid.*

Resp. 3^o Nullo modo peccat, si difficilis sit recursus ad iudicem; si scandali sit periculum, aut sumptus extraordinarii, etc., quia tunc recursus est moraliter impossibilis. — V. *Casus*, n. 573. et seq.